



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXXXII. Lingua detractrix potissimùm Christum Dominum ad ignominiosam crucis mortem promovit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

Jo. 19. 19.

6. *Scriptis autem & titulum Pilatus: Et posuit super crucem; Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus, Rex Judaeorum.* Hunc titulum non poterant tolerare Judaei, unde legentes eum, dixerunt: *Noli scribere Rex Judaeorum.* Et quare hoc? R. S. Cyrillus: *Acri turbati invidia, regnum pernegant Christi.* Ecce invidia excæcavit Judaeos, & etiamnum excæcat, & utinam non etiam multos Christianorum!


S. Cyrill. lib. 12. c. 31.

Mancin. li

2. dissert. 4

Talis fuit ille, de quo refert Casarius & ex eo Mancinus, quod longo tempore proximo suo fuerit infensus. Hic videbat aliquando de nocte Christum crucifixum humi jacentem, ac tenui velo cooperatum, ad quem plures (prout in Ecclesia in die Parasceves fieri solet) accedebant, sanctissima ejus Vulnere devotè exosculantes. Accessit & ille, ut crucifixum humi positum humili osculo veneraretur, sed revulsâ à cruce manu pietissimi Redemptoris repulsus est, qui indignabundo vultu ei dixit: *indignum eum esse admitti ad osculum, qui proximum suum odisset.* Disce ex hoc, anime mi! omnem invidiam depone, quia per invidiam diaboli mors intravit in orbem. S. Paulus Ap. olim gloriabatur, vitam suam in Christo crucifixo esse absconditam: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* Invidus è contra debet dicere: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me diabolus.* O invidi! evigilate tandem, & abite in pace.

Gal. 2. 20.



CONSIDERATIO LXXXII.

Lingua detractrix potissimùm Christum
Dominum ad ignominiosissimam crucis mor-
tem promovit.

Pro eo ut me diligere, detrabebant mihi: ego autem orabam. Psal. 108. 3.

I.

Misit quondam David Rex legatos suos ad Hanon Amonitarum Regem, consolans eum super patris interitu; Sed Hanon turpissimè illos regios excepit legatos, dum eos non solum vestibus, sed & barbâ & honore mutilavit: *Tulit itaque*

que Hanon servos David, rasisque dimidiam partem barba eorum, & præscidit re-
stes eorum medias usque ad nates. & dimisit eos. Hæc summa injuria, quam
Hanon contra jus gentium legatis Davidis ad se consolandum missis
irrogavit, causa fuit & fomes sequentis atrocissimi belli, in quo tot ho-
minum millia perierunt. Ecce tantam stragem causabat lingua de-
tractrix, fuerunt enim nonnulli aulicorum, qui Davidi detrahebant:
Dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon Dominum suum; Putas quod pro-
pter honorem patris tui miserit David ad te consolatores, & non ideo ut investi-
garet, & exploraret civitatem, & everteret eam? O lingua detractoria!
quæ hactenus fecisti mala & etiamnum facis? Sed à figurante ad
figuratum.

Misit Rex Regum, DEUS Pater plures quondam legatos ac Pro-
phetas in terram Israël, ut populum reducerent errantem, & conso-
larentur pios; sed pariter malè habiti sunt: *Alium ceciderunt, alium occi-
derunt, alium verò lapidaverunt.* Proinde in Consistorio divino decretum
fuit, ut ipse Filius æterni Patris, tanquam legatus supremus à latere in
hanc terram mitteretur: *Novissimè autem misit ad eos Filium suum, dicens:
Verebuntur Filium meum.* O Domine! quomodo verebuntur Filium
tuum? Effectus rem demonstravit, dum lingua detractrix ei barbam
erast; genas percussit, vestes præscidit, corpus denudavit, ac tandem
in crucis patibulo suspendit: *Hic est hares, venite, occidamus eum,* & apud
Jeremiam Prophetam: *Mittamus lignum, hoc est crucem, in panem ejus,*
& *eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.* O
pessima lingua detractorum! tu quàm maximè Dominum nostrum
Jesum Christum ad crucem promovisti.

2. Et quid Dominus Salvator noster? Audiamus Davidem in
persona Christi loquentem: *Pro eo ut me diligere, detrahebant mihi:*
ego autem orabam: Detrahebant mihi inimici mei quæ publicè, quæ pri-
vatim: *Murmur multum erat in turba de eo, aliqui enim dicebant, quia
bonus est, alii quia seducit turbas: Ego autem orabam.* Detrahebant mi-
hi nunc Scribæ & Pharisei, vocantes me Samaritanum, modò blas-
phemum, modò dæmoniacum: *Ego autem orabam.* Nunc me procla-
mabant ut potatorem, nunc mendacem & voracem; Nunc prohiben-
tem tributa Cæsari, ac tandem gentis subverforem & populi seducto-
rem: *Ego autem orabam.* Comprehenderunt me in horto, tanquam la-
tronem cum gladiis & fustibus; Accusaverunt me iniquè & injustè co-
ram Judicibus; Flagellarunt me, cruentis coronarunt spinis; Cruci-
denique me affixerunt, ubi blasphemabar ab omnibus, & milleni de-
tractores acuerunt linguas suas, sicut serpentis. *Ego autem orabam, ut iis
Pater tanta condonaret scelera: Jesus autem dicebat: Pater dimitte illis:*

non enim sciunt quid faciunt Collige ex hoc, anime mi, quidquid feceris, re non evitaturum linguam maledictam & detractoriam. Audi ipsam
 Matth. 11. 18. Veritatem: Venit Joannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Si hoc de Christo linguæ detractoriæ, quid tumiraris, si os dolosi & detractoris super te apertum est? Non poteris evitare, amice Lector! detractorum & calumniatorum linguas, & quidcunque tandem boni egeris; dispone te ad patientiam.

3. Instituumus examen, quisnam Christum æterni Patris Filium ad mortem crucis tradiderit? Pendet mitissimus orbis Salvator JESUS duos inter infames latrones in patibulario ligno, moritur in eo, & auctor mortis ignoratur. Culpa primaria imputatur Judæ Ischariozæ

Matth. 26. 48. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuerit, ipse est, tenete eum. Sed excusat se temerarius Traditor, nunc pœnitentiâ licet frustraneâ ductus: Peccavi, tradens sanguinem justum. Excusat & Pilatus Judex Romanus, qui innocentissimum JESUM condemnavit ad mortem: Innocens ego sum à sanguine justis hujus. Exculant & se Judæi: Nobis non licet interficere quemquam. Quis ergo Dominum meum JESUM cruci affixit? An fortasse diabolus? Sed nec hic vult habere causam, quia virtutem S. Crucis præcognovit, unde Claudie Proculæ uxori Pilati per somnium intimavit: Nihil tibi & justo illi. Quis ergo JESUM meum cruci affixit?

Matth. 27. 4. Interim consulamus S. Marcum, qui ait: Erat autem hora tertia: Et crucifixerunt eum; S. Joannes verò dicit: Erat autem Parasceve Pascha hora sexta, tunc ergo tradidit illum, ut crucifigeretur. Quomodo, obsecro, ista conveniunt? Unus Evangelista asserit Dominum nostrum horâ tertiâ, & alter horâ sextâ esse crucifixum? An non utriusque sacri Scriptoris calamus à Spiritu sancto erat directus?

Matth. 27. 24. Hanc difficultatem solvit Divus Augustinus: Cùm horâ tertiâ, inquit, crucifixum Dominum Marcus enunciet, verissimè indicat maximè fuisse Domini necatricem linguam Judæorum, quàm militum; Circa enim horam tertiam omnes detractorum linguæ conclamarunt: Crucifige, crucifige eum: Acuerunt ut gladium linguas suas; Et pergit idem S. Antistes Hipponensis, interrogans Judæos: Unde occidistis? R. Gladio lingua. Ita & S. Bernh.

Jo. 18. 31. S. Bernh. t. 1. f. 23. a. 3. c. 3. nunc impii detractores & Christicidæ! hoc idem facitis, cùm proximo injustè detrahitis honorem. Juvat hic audire Mellissimum: Numquid non lancea est lingua ista? profectò & acutissima, quæ tres penetrat uno ictu, loquentem, audientem, diffamatum, nec verò ejusmodi linguam ipso etiam mucrone,

Matth. 27. 19. quæ

Marc. 15. 25. Joh. 19. 14.

S. August. de conf. Ev. c. 13.

S. Bernh. ser. 24. in Cant.

quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hac quoque Christi corpus, & membrum de membro nec jam exanime sodiando &c. Hæc & plura de lingua detractoria S. Bernhardus.

5. Sed audiamus majora: Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna dicens: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Porro patientissimus Dominus per tres horas, quibus pendeat in cruce, ferè continuò ad Patrem oravit, & inter alia psalmum vigesimum primum, qui totus de passione Christi est, recitavit, ubi sub finem vitæ in illa verba, ah quàm lamentabilia! effusus est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Et quomodo ô mi Jesu! à Patre eras derelictus? non à divinitate & unione hypostatica Verbi, non à gratia & amicitia Dei; quare ergo te desertum queris?

Audiamus ipsum crucifixum Dominum per os Davidis loquentem: Quoniam circumdederunt me canes multi. Et quinam canes? R. S. Bernhardus: Judai per detractionem oblatrantes, atque mordentes. Observa prudens Lector! non conquestus est Dominus de cruentis spinis sacrum caput suum pungentibus, non de perforatis dirissimis clavibus manibus, non de pedibus crudeli ferro terebratis, non de cæteris vulneribus, sed solum de linguis detrahentibus, quæ ipsum vix adhuc in cruce spirantem unanimiter allatrabant ut canes rabidi; unde S. Chrysostomus: In patibulo pendentem omnes amaris eum impetunt verbis, quæ rebus ipsis graviora videntur, dum linguæ detractoriæ super dolorem vulnerum ejus addiderunt. Et tu detractor, adhuc vis detrahere Deo & proximo tuo? An ignoras, quòd omnis detractor sit Deo odibilis? ita asseverante Paulo: Detractores Deo odibiles.

Psal. 21. 17.
S. Bernh. to. 2.
f. 29.

Rom. 1. 30.

6. Quid ergo consilii, si tibi, amice Lector! ab occultis tuis inimicis imposterùm aliquid detrahetur honoris? Imitare V. Joannem Peccanum Archiepiscopum Cantuarensis, qui in simili causa pro more suo ad Crucifixum Dominum suum, tanquam ad ultimum calamitatis suæ asylum confugit; & cum Romæ aliquando coram Crucifixo ferventiùs oraret, hæc verba à Crucifixo Domino audire meruit: Et ego quid demerui inter latrones? Oravi, nec obtinui carnis petitiones. Calicem mortis sorbui, Patri placere studui per carnis passiones. Ergo non murmur exeat, si non sis quod orasti. Nec orasse pœniteat, quamvis non impetrasti; dum fraudas desiderium, ad majus beneficium datorem obligasti. Ad me si levas oculum, vides argento vendi; Tradi quoque per osculum, & durè comprehendendi; ac alligari funibus, & confici verberibus sine lege parcendi. Relinquor ab amantibus velut jam desperatus. Prasentor Pontificibus quasi latro ligatus; quos amari fortius, ab illis sum citius speratus & negatus. Ibi clamor, derisio, severitas

Quaresm. to.
5. f. 180.

tas minarum, & capitis velatio, & idus maxillarum. Extra muros dejicior, & ipse crucem fero; Matre vidente spolior vestimentis quæ gero; Tandem clavus confodior, & in cruce morior. Tu ergo vermis non turberis, si statim non consequeris, quidquid à Patre quaris. Audis hoc?



CONSIDERATIO LXXXIII.

Disce à Crucifixo JESU ex animo inimicis tuis ignoscere, ac pro eorum salute fideliter orare.

Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Luc. 23. v. 34.

I.

Gen. 49. 1.

Jacob Patriarcha brevi nunc moriturus, convocatis filiis suis ex lectulo suo ultimam concionem habuit: *Audite filii Jacob, audite Israël patrem vestrum &c.* Christus Dominus in infami pendens cruce ex hac sublimi cathedra supremam nobis concionem fecit, quæ non epilogus tantum, sed & epitome ac compendium omnium suarum fuerat concionum, cujus perorantis exordium S. Lucas sic exprimit: *JESUS autem dicebat: Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Pater, inquit, non Deus, non Dominus, non Rex cœli & terræ, non Judex integerrimus, sed *Pater*, ut eò facilius Patris irati cor placaret; Tot enim auditis sceleribus contra Christum Domini, quid aliud potuisses expectare, nisi ut terra dehisceret, eosque sicut olim Core, Dathan & Abiron absorberet? Aut ignis e cœlo deplueret, quemadmodum in centurionem, Eliam de monte per vim ad Regem Ochoziam trahere volentem descendit? Sed *JESUS* totus amor est ac salus: *Pater*, inquit, *dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* O prodigium amoris!

Luc. 23. 34.

Num. 20. 10.
4. Reg. 1. 10.

Gen. 9. 25.

2. Non sic concionatus est Noë à filio suo irrisus, & nunc surgens de crapula: *Maledictus*, aiebat, *Chanaan, servus servorum eris fratribus suis.* Non sic Eliseus, cum calvus à petulantibus pueris appellaretur: *Male-*